

injuriam mallet praetexere conjugio, quam vindicare: eo quod inter alienos positus amori potius consulendum, quam odia colligenda censebat? Noë quam sapiens, qui tantam fabricavit arcam?¹⁾ Quam justus, qui ad semen omnium reservatus, solus ex omnibus et praeteritae generationis superstes est factus, et auctor futurae, mundo potius et universis magis quam sibi natus? Quam fortis, ut diluvium vinceret? Quam temperans, ut diluvium toleraret? Quando introiret, qua moderatione degeret, quando corvum, quando columbam dimitteret, quando reciperet revertentes, quando exeundi opportunitatem captaret, agnosceret?

QUID IN VERITATIS INVESTIGATIONE SERVANDUM SIT.

Itaque tractant in veri investigatione tenendum illud decorum, ut summo studio requiratur quid verum sit, non falsa pro veris ducere, non obscuris vera involvere, non superfluis vel implexis atque ambiguis occupare animum. Quid tam indecorum, quam venerari ligna, quae ipsi faciunt? Quid tam obscurum, quam de astronomia et geometria tractare, quod probant, profundi aëris spatia metiri, coelum quoque et mare numeris includere: relinquere causas salutis, erroris quaerere? An non ille eruditus in omni sapientia Aegyptiorum Moyses probavit ista? sed illam sapientiam detrimentum et stultitiam judicavit, et aversus ab ea, intimo Deum quaesivit affectu: ideoque vidit, interrogavit, audivit loquentem. Quis magis sapiens, quam ille, quem docuit Deus, qui omnem sapientiam Aegyptiorum, omniumque artium potentias operis sui virtute evacuavit?²⁾ Non hic incognita pro cognitis habebat, hisque temere assentiebatur: quae duo in hoc maxime naturali atque honesto loco vitanda discunt, qui sibi nec contra naturam esse, nec turpe judicant saxa adorare, et a simulacris auxilium petere, quae nihil

1) Gen. 6. 2) Exod. 3.